

TRACTATUS I

1. *Quod erat ab initio, quod audivimus, et quod vidimus oculis nostris, et manus nostrae tractaverunt de Verbo vitae.* Quis est qui manibus tractat Verbum, nisi quia : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis » ? Hoc autem Verbum quod caro factum est, ut manibus tractaretur, coepit esse caro ex virgine Maria : sed non tunc coepit Verbum, quia « quod erat ab initio » dixit. Videte si non adtestatur Epistola sua Evangelio suo, ubi modo audistis : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. » Forte de « Verbo vitae » sic quisque accipiat quasi locutionem quamdam de Christo, non ipsum corpus Christi quod manibus tractatum est. Videte quid sequatur : *Et ipsa vita manifestata est.* Christus ergo Verbum vitae. Et unde manifestata est ? Erat enim ab initio ; sed non erat manifestata hominibus ; manifestata autem erat Angelis videntibus, et tamquam pane suo cibantibus. Sed quid ait Scriptura ? « Panem Angelorum manducavit homo. » Ergo manifestata est ipsa vita in carne ; quia in manifestatione posita est, ut res quae solo corde videri potest, videretur et oculis, ut corda sanaret. Solo enim corde videtur Verbum : caro autem et oculis corporalibus videtur. Erat unde videremus carnem, sed non erat unde videremus Verbum : factum est Verbum caro, quam videre possemus, ut sanaretur in nobis unde Verbum videremus.

